



## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. IV. Utrùm subditi per præscriptionem se eximere possint ab abedientia Principis, vel alterius Prælati inferioris, aut legitimi Superioris?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

prescribi possunt, si bonâ fide possessi sunt, neque enim partus rei furtivæ, ut ait lex, est pars rei furtivæ. Tertio res quæ sunt meræ facultatis seu liberæ & gratuitæ voluntatis prescribi non possunt, quia ex talibus actibus, qui libertati non ponuntur, nulla potest induci obligatio, cum nullam contineant, nisi prohibitioni v. g. interpositæ acquieverit cum patientia, qui actus tales meræ facultatis exercuit. Quarto limites seu fines Provinciarum, Episcopatum, ac Parochiarum &c. & quæ huiusmodi limitibus coherent, prescribi non possunt, dummodò constet, tales fines fuisse legitimâ auctoritate positos. *c. Super eo 4. De Parochijs*: Ne confundantur scilicet termini ad confusionem devitandam positi, & quamvis fines agrorum ad Ecclesias v. g. spectantium prescribi possint, quoad proprietatem & dominium, non tamen prescribi possunt, quatenus sunt fines constituti certorum districtuum.

## §. IV.

*Virum subditi per prescriptionem se eximere possint ab obedientia Principis, vel alterius Prælati inferioris, aut legitimi Superioris?*

Contra ea, quæ Principi debentur in recognitionem supremi Principatus, & universalis domini, ac subjectionis ei debita, non potest à subditis, quâ talibus prescribi. *L. Comperet. 6. Cod. De prescript. 30. vel 40. anno.* Potest tamen à subditis prescribi ea exemptio à tributis & censibus, quæ, non in recognitionem supremæ Majestatis, sed in subsidium, ob necessitatem aliquam publicam

solvuntur, cum subditus manens subditus illa solvat in signum subjectionis, non autem hæc, & quamvis mediante prescriptione ex subdito fieri possit non subditus, & exemptionem à talis Principis subjectione prescribere, prout recepta Praxis docet, manens tamen subditus ad se obligatur, quæ ad superioritatem recognoscendam conveniunt. Imo nec contra obedientiam inferiorum Prælatorum Episcopi v. g. vel legitimi alterius Superioris prescribere possunt subditi. *c. Non liceat. 12. h. t.* Neque enim in possessione suæ immunitatis est subditus, quando diu manet subditus, cum tamen talis possessio ad prescribendum requiratur, nisi translativè tantum prescribant, ut in alteri v. g. Episcopo subiecti sine, non autem simpliciter, sive exclusivè, vel neque Romano Pontifici subiecti, quod esset contra jus Divinum.

## §. V.

*An contra Prælatum possit prescribi visitatio, & procuratio ratione illius debita?*

Neque contra visitationem Prælati, quæ de jure communi obligat prescribere possunt subiecti Clerici, quæ contra procuratorem ratione visitationis illi debita, uti decernitur. *Cum officij 16. h. t.* (Quamvis Prælatum eam remittere possit, & quoad modum solvendi mutare, saltem non in vitis illius qui solvere tenentur) non tantumquam prescriptio talis perniciofa esset Ecclesiæ, sed indecens etiam sit, & tam juri Divino, quàm naturali contrarium videtur, ut non habeat jus petendæ procuratoris, qui obligationem habet visitationis